

CAPUT IV

1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.
2. Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet.
3. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.
4. Sicut vitta coccinea, labia tua, et eloquium tuum dulce.
5. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet.
6. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.
7. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis.
8. Donec aspiret dies et inclinentur umbrae, vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.
9. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.
10. Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis de capite Amanae, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, et montibus pardorum.
11. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.
12. Quam pulchrae sunt mammae tuae soror me sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.
13. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.
14. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.
15. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,
16. nardus et crocus, fistula et cinnamonum cum universis lignis libani, myrrha et aloë, cum omnibus primis unguentis.
17. Fons hortorum puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de libano.
18. Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.

PRIMA EXPLANATIO

Quod amatores saepe faciunt, dum gratificari foeminis volunt, ut vel intempesta nocte, vel appetente luce, ante ipsarum aedium fores amatorium aliquid ad lyram recinant, quod vel querimoniam, vel preces, vel certe laudes

earum, quas amant, contineat, id hoc loco Salomon, aut tale aliquid certe, quale illud est, retulisse, et in suum carmen transtulisse videtur. Nam inducit sponsum domum reversum cantu personantem, et sponsae suae pulchritudinem miris laudibus celebrantem. Constat autem omnis ista laus similitudinum adhibitione potissimum; nam in singulis partibus illius laudandis singulas similitudines adhibet, easque e re rustica maxima ex parte petit. Quas quidem similitudines fortassis non nemo iudicet, nimium abhorrere, non solum a nostra consuetudine, sed a communi etiam omnium hominum sensu, et a probato bonorum scriptorum loquendi usu, atque adeo ab iis ipsis rebus, quarum declarandarum, atque laudandarum causa adducuntur. Quod forsitam ex eo evenit, id ut nobis ita videatur, quia et haec scripta antiquissima sunt, et ab eo, ad eosque scripta, quorum et lingua, et mores, et consuetudines vitae, a reliquarum omnium gentium atque nationum moribus, atque vita mirabiliter differebant. Est autem unicuique genti suus et vernaculus in loquendo mos, atque proprietas: quo saepe fit, ut aliis absurda et inepta videantur, quae alii pro optimis et elegantissimis habent. Quare omnis haec, et orationis novitas, et translationum, tam a longe petitarum, quasi durities, quae politas fortasse et cultas aures offendat, non tam in ipsa re, ut ego quidem arbitror, est, quam in dissimilitudine morum, atque iudiciorum nostrorum, ab illorum, quibus haec prodita primo sunt, moribus et iudiciis. Res enim ipsae rectae sunt, et inter se satis aptae, modo non, ut quidam faciunt, temere atque de summa veluti cute, sed exacte et iudicio adhibito accurate eas examinemus. In id igitur incumbamus.

QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA, QUAM PULCHRA, OCULI TUI COLUMBARUM. Generalis propositio, quam mox per singulas partes confirmat. Exornat autem ipsam propositio- nem admiratione et repetitione, quo majorem attentionem excitet. Porro confirmationem orditur ab oculis, quos co-